



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Usuris, & interesse, Pars II. de Cambiis, Pars III. de Censibus, Pars IV. de Societatibus Officiorum

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1691

Disc. VIII. Camerinen. societatis officii. An societas officii contrahi possit per eum qui non est officii titularis, sed fructuum emolumentorum reservatarius; Et quid è conversi an contrahi possit ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74112)

Hinc propterea dicebam non intrare quaestio-
nem per alios hinc inde scribentes excitatam, an
societas posset alteri cedi invito socio, de qualitate
idem *Olea tit. 3. quest. 5.* quoniam huiusmodi qua-
estio intrat ad effectum inspiciendi, an cessionarius
per cessionem fiat socius, ita ut societas substantietur
in eius persona, quae ad effectum dissolutionis
vel lucri attendi debeat necne, ad quem effectum
requiritur formalis novatio iuxta terminos *text. in
l. 4. ff. de novationibus* ex deductis per *Oleam ubi su-
pra*; In praesenti autem, firma remanente sub-
stantia societatis in cedente, punctus erat, An ces-
sionarius exercere poterit illam facultatem, quam
dicti cedentis simplex mandatarius & procurator
ad exercitium deducere potuisset, cum nulla urgere
videretur ratio prohibitiva, ut id quod fieri potest
per procuratorem voluntarium, fieri non possit
per cessionarium, qui mandatum magis efficax ha-
bere dicitur, atque ita credo fuisse iudicatum.

In eisdem terminis, dissolutionis societatis per
mortem credentis vel cessionarii in eodem Tribu-
nali A.C. disputavi in *una Romana pro Com. Mare-
scotto*; Cum enim hic requisitus esset ad dandas
pecunias ad societatem officii cuidam officiali ad
aliud munus pestea translatum, congruum autem re-
putaret non contrahere per se ipsum, supposuit
personam cuiusdam ejus famuli, seu confidentiarii,
ad cujus favorem societas inita fuit, qui immediatè
recognoscendo bonam fidem, declaravit se nudum
habere nomen, totumque commodum & incom-
modum esse dicti Comitum. Cum autem post se-
quutam dicti fiduciarii mortem, absque eo quod
aliquid morivaretur, plures anni decurrissent, hinc
orta est controversia super fructibus à praedictae
mortis tempore citrà decursis, An scilicet non so-
lati deberentur, vel soluti tanquam indebiti essent
in sortem imputandi; Et debitor, pro quo iudex
pronunciavit, fundabat ejus intentionem in regula,
de qua supra, quod societas dissolvi dicitur per mor-
tem cedentis, non autem cessionarii, ex eisdem de-
cisionibus & auctoritatibus allegatis.

Ego verò scribens pro creditore, dicebam non
esse in casu cedentis & cessionarii, cum verè ab ini-
tio Comes praedictus fuerit creditor, atque contra-
ctus initus de ejus pecunia sub simulato nomine
alterius ad *text. in l. quamvis, & l. multum interest,*
C. si quis alteri vel sibi cum concord. per Baratt. decis.
733 & in his terminis posita simulationis probatio-
ne, admitti videtur *decis. 367. par. 4. rec. tom. 2.* Pon-
tissimè quia dabatur multa adminicula, quod deb-
itor esset dictae simulationis conficius; Verùm
reflectendo ad veritatem, credebam, ut parti ab
initio insinuavi, hoc fundamentum esse parum tu-
tum, undè propterea iusta visa est determinatio,
quoniam posito etiam, ut debitor sciret sociera-
tem contrahi de pecunia alterius & ad ejus com-
modum, hoc tamen non tollit ipsum factum, quod
eo ita volente societatis substantia in altera persona
resideret, ex illis, quae habemus in simili ponderata
etiam per *Rotam d. decis. 367* de officiis vel locis mon-
tium vacabilibus, quae per aliquem de propria pec-
unia cum reservatione liberae dispositionis emun-
tur in faciem & sub nomine alterius, quoniam
Principi vel alteri venditori bene id innotescit, sed
hoc non tollit, quin substantia officii, tam ad
effectum vacationis quam alios in altera persona
resideret, quamvis commoditas ac omnimoda dis-
positio esset alterius, qui conqueri non potest,
dum poterat actum agere directè cum se ipso, &
tamen ita voluit.

Card. de Lucae de Censibus. Pars III.

Ideoque ad instar eorum, quae habentur in
feudis, cum quorum regulis huiusmodi jura rectè
metienda veniunt, intrare non videtur *Rubrica &
titulus, plus valere quod agitur quam quod simulatè
concupitur* ex deductis per *Marin. resol. 38. lib. 2.* &
Rotam in Rossanen. decimarum coram Bichio impress.
apud eundem Gregeit. decis. 109. par. 9. recent. &
saepius in sua materia *sub tit. de feud.*

CAMERINEN.

SOCIETATIS OFFICII

PRO

JOANNE & ANTONIO MARIA
DE BROILIS

CUM

ANSALDO CASTELLANO, &
JOSEPHO CERESIA.

*Casus disputatus coram A. C. & puto re-
solutus pro Broilis.*

An societas officii contrahi possit per eum
qui non est officii titularis, sed fructuum
& emolumentorum reservatarius; Et
quid è converso, an contrahi possit per
Titularem, ubi alter est fructuum &
emolumentorum reservatarius.

Et an idem reservatarius qui societatem
contraxit praestando nudum nomen in
gratiam alterius qui pecuniam recepit,
ac bonam fidem recognovit, possit ex
cessione creditoris effici creditor, ita ut
ad ejus commodum continuet & duret
societas.

SUMMARYM.

- 1 *Acti series.*
- 2 **F** *An societas officii contrahi possit per eum
qui est officii reservatarius.*
- 3 *Et an per Titularem, ubi adest reservatarius.*
- 4 *An officialis possit effici creditor societatis in
prajudicium recognoscentis bonam fidem.*

DISC. VIII.



Atinus Broilus emit officium
Notariatus causarum civilium
Terrae Montechii sub nomine ac
in faciem Joannis ejus filii, cum
reservatione decreti super libera
& omnimoda dispositione, tam
fructuum quam pretii ejusdem officii in forma, undè
propterea juxta consuetam observantiam, quamvis
officium sub nomine dicti Joannis cantaret, Atta-
men ipse Latinus officialis personam & partes, tam
in perceptione emolumentorum, quam in omnibus
gererat, atque ipse quamdam societatem super dicto
officio inivit cum Pompeo Virgilio sub accessione
Ansaldi Castellani & Josephi Ceresiae, qui verè dictas
pecu-

pecunias recipientes bonam fidem recognoscendo se obligarunt in forma relevare indemnem dictum Latinum, in eorum gratiam nomen & officium præstantem; Deinde verò idem Latinus per soluta æquivalenti summa, & prædictæ societatis cessionem à Pompeo reportavit, Cumque dicti debitores per plures annos fructus persolvissent pulsati per dicti Latini filios & hæredes ad restitutionem fortis, excipiebant de indebita solutione fructuum in fortem imputandorum, vel ab initio ob nullam existentem societatem, quam dicebant iniri non potuisse per Latinum, qui non erat officialis, dum officium residebat in persona Joannis, Vel ubi iniri potuisset, saltem ex tempore quo idem Latinus effectus est creditor, ob incompatibilitatem concursus actionis & passionis in eodem subjecto, ita ut unus & idem esset socius sui ipsius, dum receptissimum est societatem contrahi & substantiari inter creditorem dantem pecunias & officialem, quamvis hic, sciente etiam creditore, præstaret nudum nomen, quia pecuniæ aliis darentur bonam fidem recognoscentibus.

Requisitus proinde ad scribendum ex parte creditorum, quatenus pertinet ad primum punctum, An scilicet societas contrahi poterit per eum, qui esset officii reservatarius tantum, non autem titularis, Ponderabam quod licet antiquitus ista quaestio disputata fuisset, nihilominus *Rota in Romana Societatis officii coram Penta* inter suas decis. 421. juxta *Lugdunen.* aliàs 326. juxta *Venetam* repetita etiam post *Zacch. de Societ. dec. 32.* affirmativam credidit veriore, ex ea ratione, quod societas contrahi non dicitur super ipsa substantia officii in sorte principali, sed super ejus fructibus & emolumentis, ideoque congruentius contrahitur per eum, qui est dictorum fructuum & emolumentorum dominus, & cum dicta decisione pertranseunt *Zacch. hoc tract. numer. 27. cum sequen. & Duard. eodem lib. 2. cap. 6. §. 1. quaest. 4.* ubi eandem decisionem registrat.

Hinc difficultas potius esse videtur in casu converso, ubi scilicet societas contrahitur per titularem officii, cujus alter esset reservatarius, quoniam licet ejusdem officii substantia in eo resideat, Attamen cum non habeat dominium & dispositionem fructuum & emolumentorum ad alterum pertinentium, deficere videtur societatis subjectum; Et propterea quamvis *Rota in Romana Societatis coram Gypso* relata per *Duard. ubi supra quaest. 5. & impress. post Zacch. hoc tract. decis. 31* pro validitate senserit, Attamen *Zacch. num. 46. & Duard. dicta quaest. 5.* contrarium sentiunt, dictaque decisioni respondere conantur, Sed quicquid sit de unius vel alterius opinionis veritate, quam adhuc occasio non præbuit examinandi, primus casus cadens sub controversia videbatur remanere planus,

Quoverò ad alterum punctum, neque mihi, neque scribenti in contrarium concessum fuit invenire auctoritatem in terminis, undè illum discurrendo per rationes vel similia, ut faciendum est, quandò non habemus auctoritates speciales benè fundatas, cum in his verè & propriè consistat scientia, ac dignosatur Doctor benè fundatus; Quando Latinus officii reservatarius esset verè debitor, quia ipse pecuniam habuisset, atque societatis fructus solvere debuisset, tunc incompatibilitas esset clara, dum absque mixtura juris tertii idem esset debitor & creditor, ac socius activus & passivus, seu socius sui ipsius; Ubi verò adest mixtura

juris tertii, quia contraus commodum & incommodum pertinet ad alios, qui pecuniam receperunt, ac bonam fidem recognoverunt, dum ut sæpius in præcedentibus habetur, in hujusmodi societatis cessionarium non transit illius substantia, sed solum commodum, quod debitoris nil interest esse unius vel alterius, dum non alteratur periculum ex quo debitor lucrum sperat, Et tunc nil videtur repugnare, ut idem officialis dictum commodum obtineat, maximè ubi provenit ex intervallo, nullaque adest fraus, ex iis quæ in terminis similibus commoditatis pensionis Ecclesiasticæ & compatibles in ipsomet beneficiato & rituali, seu commoditatis feudi & emphyteusis in ipsomet Domino directo ponderata sunt in *Romana solidationis computorum hoc eodem tit. disc. 6.* Et juxta præmissa credo fuisse resolutum, moderando scilicet inhibitionem per debitores obtentam à mandato executivo contra eos relaxato per judicem primæ instantiæ de partibus: Neque occasio præbuit hucutque punctum prædictum alijs disputare, ut ita maturius veritas indagari poterit.

ROMANA
SOCIETATIS OFFICII
PRO
CÆSARE COLUMNNA
CUM
CARDINALI MANCINO
tunc Prælato.

Casus decisus per rotam pro Columnna.

De fructibus non debendis post dissolutionem societatem per disdictam; Et de renovatione societatis facta per solum officialem absente creditore, An valeat, & an sufficiat ratificatio tacita & conjecturalis.

SYMMARIVM

- 1 **F** Acti series.
- 2 **F** Fructus non debentur post disdictam societatem non obstante pacto.
- 3 **A**d perfectionem & validitatem societatis initæ, vel renovatæ cum absente requiritur ratificatio expressa, & non sufficit tacita.

DISCURSUS IX.



Cæsar Columnna Notarius Tribunalis A. C. super dicto ejus officio, sub propriæ vitæ periculo, de anno 1641. societatem inivit scut. 1000. ad favorem Octavii Spadæ, qui de anno 1643. illam cessit Jacobo Gambæ post sex menses illam disdicenti, sed de anno 1648. idem Cæsar eam renovavit ad favorem dicti Gambæ absentis in munere Audi-